

Stephani Hathvani [...] animadversiones theologico-criticae

Autor(en): **Hathvani, Stephanus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 8

PDF erstellt am: **16.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394614>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(*) STEPHANI HATHVANI
S. S. M. CONSECR. ET PHILIATRI.
N. HUNGARI.

ANIMADVERSIONES
THEOLOGICO - CRITICÆ.

§. I.

MUltum hucusque illustre Bilhami vaticinium (a) interpretes doctissimos exercuit; quid per vocabulum שׁת intelligi oporteat. Ego vero, id mihi negotii nunc non sumam, ut longam hic eorum seriem enumerem, qui aut pro *Sethi posteris* acriter depugnant, vel qui בני שׁת cum Junio & Tremellio eos esse contendunt, *qui pone sunt*. Liceat vero mihi, dum certiora a doctioribus condecear, modeste hic loci ab eorum sententia discessionem facere. Mihi saltem nihil planius esse videtur, quam per בני שׁת, *filios ebrietatis* intelligi oportere. Enim vero in litteris hebraicis, non prorsus novum est, a verbis tertia ה quiescentibus, hac litera ה abjecta, nomina

O o 3

mina

(*) Nobil. ac Doctiss. Viro, quod istas Animadv. quarum primas q. lineas pronuper Basileæ Præsidi Vener. & Clariss. Viro J. CHR. BECKIO sub academicæ Disputationis forma proposuerat, posterioribus curis nunc emendatas & insigniter auctas, ut plane novum opusculum videri possint, precibus nostris permittere voluerit, publice hic gratas persolvimus grates, atque in novo studiorum genere, cui nunc animum applicuit, faustos itidem successus ex animo apprecamur.

mina continuo enasci. Hoc modo, a **שלה** in Niphthal **נשלה** erravit, (b) fit **ש** error: (c) sic a **נאה** elatus est; fit **נא** superbus (d): ita a **דגה** fit **דג** piscis; a **בנה** fit **בן** filius. Cum autem **שתי**, a **שתה**, computationem seu *συμπόσιον* (e) & **משתה** coavivium lautissime instructum (f) significat: quid impedit, quominus **שת**, *Ebrietatem* commodissime designet? Neque minus id in amplissima luce positum est, Patriarcham Loth, cum vino somnoque velut oppressus jaceret; neque id, quod cum filia sua nocte intempesta gesserat negotium, per ebrietatem gravem nosset: Moabum ab ea suscepisse. (g) Quare Bilham, elegantissime non minus, quam etiam jure optimo Moabitas, **בני שת**, *filios ebrietatis* adpellare potuit. Nam Moabitas, non dissimilem natalibus suis vixisse vitam, tristissima illa Historia, quæ Numer. C. XXV. legitur, evictum dedit. Enimvero Judæos, a Moabitis ad solemnia Deorum suorum sacra invitatos; iis cum maxime auctoribus & Baccho & Veneri indulgisse, divinus Scriptor memoriæ prodidit. (h) Sed & ipse nexus orationis, stylique majestas ac phrasium pondus, quibus hoc vaticinium conceptum est; interpretationem quam adtuli, suadere videntur. Quid illustrissimum illud Sidus, ex Jacobo post multa demum secula proditurum, utrisque populis faceret, qui tum Bilhami oculis obversabantur & quo sidere afflaret: id ipsum, nobili vaticinio exponebat. At vero Bilhami oculis, Moabitæ, Hebræi & ceteræ Cananæorum familiæ, quos ex summo vertice montis prospectabat, subjecti fuerunt. (i) Cladem igitur Moabitis & Idumæis oppido gravem imminere, pronuntiat. In hoc autem quod Ju-

dæi

dæi jam jam meditabantur prælio, feliciter manum conferturos significat. Immo id fore, ut non solum Moabitæ & Idumæi sub jugum mittantur: sed etiam civitates eorum funditus evertantur. (k) Eadem Amalecitas & Kenæos experturos fata continuo exposuit. (l) Tandem id etiam Bilhamus addebat, quamquam Judæi victricia nunc arma inter Cananæos circumferent, eorumque hæreditatem a majoribus acceptam occupabunt, quin & ipsi pace aliquamdiu fruuntur: tamen venturum esse tempus post Secula sera, cum Oceanus ingens naves bellicas, inimicas Judæorum genti exponet; quæ, finem dominio eorum, juxta ac Reip. imponent. (m) His finibus omne id quod Bilham proferebat vaticinium continetur. Certe totus hic orationis habitus nihil illius generis complectitur, quod de Ecclesiæ, aut fidelium, qui Christo olim fidem adhibebunt ædificatione, accipi deberet.

Adhæc interpretationi nostræ communiendæ, non leve pondus ex phrasium inter se facta comparatione, quibus in hoc oraculo Bilham usus est, accedere putamus. Res magnas ille dixit: hinc verbis etiam ac phrasibus magnificis eas exornavit. Enimvero Kenæum populum fortem ac bellicosum, *quique Sedem domicilii sui inter munitissimas petras constituisset* adpellabat. (n) Amalec princeps gentium, seu nobilissimus populus, Bilhamo dicitur est: (o) Jacob vero felix ille pater [seu gens Judæorum] ex quo Princeps *ille qui dominaretur* prodiret, nominabatur. (p) An vero existimabimus, cum ceteris omnibus de quibus Bilham locutus est, epithetum aliquod addebat, solos Mo-

abitas eum neglexisse? Tota certe hæc oratio prophetica, ut etiam Moabitæ simili ornarentur, vel notarentur Epitheto, postulare videtur. Moabitas ergo *filios ebrietatis*: hoc est, populum vino deditum, & vitiis, quæ ebrietatem comitantur, obnoxium adpellabat. Atque ita prout alios heroicis virtutibus inclaruisse testabatur: ita Moabitas, sceleribus ac vitiis, ceteros omnes anteivisse, confessus est.

Sentio tamen id nobis hic opponi posse, quod integra sententiæ explicatio a verbo קרקר pendere videatur. Hoc autem verbum si per *ædificavit*, non autem *destruxit*, reddendum est, inutilis omnis noster conatus sit, necesse est. Equidem verbum קרקר, quod semel præterea apud Esajam reperitur (q) per *ædificavit* non inepte posse transferri non diffiteor. Quamquam vero id largiar, non tamen ullam necessitatis legem mihi imponi sentio; ut eandem significationem, in loco nostro agnoscam.

Id enim testatissimum est, non raro unum idemque vocabulum diverso, immo plane contrario sensu sumi debere. Atque hanc significationem contrariam, non jam primaria vocis significatio, sed nexus orationis, & ceteræ phrasæ determinant: ut adeo interpretem, vocem aliquam obviam, hoc potius quam illo modo exponere jubeant. Multis hoc conducere difficile non esset. Hic unico, eoque vulgatissimo exemplo defungi sufficiat. Verbum ברכ significare *benedixit*, tironibus notum est. Sed hoc idem verbum 1. Reg. XXI: v. 10. 13. reperitur ubi
male-

maledixit significat. Ut nunc de locis aliis taceam (r). Novi equidem quod idem verbum etiam *salutavit*, *valedixit*, significet; sed hæ sunt priori analogæ. Quod si Nabot, Regi benedixisset, aut saltem eum salutasset, vel ei valedixisset; quo demum quæso colore Achab illum interfici iussisset? Sed cædi viri innocentis, maledicta ac convitia in Deum & Regem fuisse prætexta, cum nexus orationis, tum mortis genus quo ille adfectus est, comprobavit. Etenim eum, qui Deo convitia ingessit, lex lapidibus obrui præcepit (s).

Cum igitur id in confesso sit, unum idemque verbum pro vario orationis nexu, ac phrasium combinatione, contrarium etiam, primariæ significationi, admittere sensum; usque adeo exemplo ex Esaja adducto non movemur; ut salva ejus auctoritate, nostram in plano esse sententiam, existimemus. Sed ut hoc non effet, verbum קרקר etiam *destruere* apud Hebræos significat. Id quod Buxtorfius in Lexcio suo adnotavit. Sic Zoh. in Gen. col. 483. קרקורא הקיר *Destructionem parietis* significat. Item הוּי מְקַרְקֵין בּוֹ כָּל הַלַּיְלָה. *Destruerant in ea tota nocte.* Ber. rab. Sect. 74.

Quæ cum ita a nobis exposita sunt, cum ex nexu orationis tum phrasibus ceteris inter se comparatis; id nobis quam simillimum veri videtur, ut verba hoc modo transferantur: *Et destruet omnes filios ebrietatis.*

Neque video, cur in versu sequenti (t) קין reddatur per *Kain*, & non potius per *ensem* vel *gladium*: uti illa vox alibi (u) usurpatur. Adeo ut, mea quidem sententia, ita illa transferri possint: quamquam munita sit sedes tua [*Kenæ &c.*]: nihilo

secius devastabitur gladio: usque quo Assur tandem captivum te ducat. De Kaino hic cogitandi, quod vox superior תו interpretibus occasionem dederit; nemo non oculatior videt.

(a) Num. XXIV. 17. (b) 2. Chron. XXIX 11. 2. Reg. IV. 28. Job. XXVII. 8. (c) 2. Sam. VI. 7. (d) Jesaj. XVI. 6. (e) Ecclef. X. 17. (f) Esaj. XXV. 6. (g) Gen. XIX. 32. sq. (h) Num. XXV. 2. 8. confer. 1. Cor. X. 7, 8. Apocal. II. 14. (i) Numer. XXIII. 28. (k) Ibid. Cap. XXIV. 17, 18. (l) Ibid. versibus 20. 21. (m) Ibid. vers. 24. (n) Ibid. vers. 21. (o) Ibid. vers. 20. (p) Ibid. vers. 19. (q) Esajæ. XX. 5. (r) Job. Cap. I. 5. 11. & Cap. II. 9. (s) Levit. XXIV. 14. 15. 16. (t) Num. XXIV. 22. (u) 2. Sam. XXI. 16.

§. II.

In Apostolica illa, de Episcopis seu Presbyteris lege, (a) simultaneas tantum, non autem successivas vetari nuptias, uti loquuntur: vulgatissima plerorumque Theologorum Protestantium est sententia. Quominus vero in hanc, & ipse ego, pedibus velut ire sententiam potuerim; multa eadem hæc sæpe conantem prohibebant. Enimvero, S. Apostolus eadem profus ratione, mulieres viduas deligi jubebat, ad certas res sacras curandas sive Diaconissas, quæ uni tantum viro in nuptias convenerant. (b) Per has *univiras* vel illæ sunt intelligendæ, quæ semel tantum connubii molestias sunt expertæ? vel quæ uno eodemque tempore uni solum viro, non autem pluribus simul in matrimonio erant? Cum autem locum priorem, præstantissimi interpretes hoc modo exponunt: illi ab Apostolo ad sanctissimum

simum munus aditum denegari, qui plures simul uxores habet: ex lege oppositionis, idem ut de Diaconissis dicant; illam non posse Diaconissam eligi, quæ pluribus simul viris nupta erat: atque ita posteriorem hanc, ut tueantur sententiam, necesse est. Quodsi ita est, illud viris optimis demonstrandum incumbit, temporibus Apostolorum non solum *πολυγαμίαν*; sed etiam *πολυανδρίαν* in Græcia receptissimi usus fuisse. Quod utrumque falsissimum esse, eorum nemo non videt; qui historiam ejus temporis vel fugientibus oculis inspexit. Contra ea, id in magna luce positum est; jam antiquissimis temporibus, a Cecrope (c) legem fuisse latam, ut unus, uni tantum feminæ eodem tempore connubio jungeretur. Xenophon certe, non solum legis illius, quæ unum uni junxit, clarissime meminit; sed ejus legis originem ad Deum refert. (d) Pausanias memorat, in Achaja Telluris sacerdotio feminas sanctas; quæ uni tantum marito nuptæ fuerant. (e) Adhæc, ea quibus Apostoli in terris agebant ætate; nemo nescit, totam Græciam in Provinciæ formam a Romanis redactam: legibus vixisse Romanis. At Romanorum legibus, una uni tantum viro, eodem tempore nubere potuit; & unus, unam tantum connubio sibi jungere (f) Quid? quod UNIVIRÆ in templo *Pudicitiae* sacra faciendi jus singulare habebant. (g) Quare cum Justinus Martyr (h) de Christianis adfirmat, *γαμῶσιν ὡς πάντες*; tum Athenagoras clarissimis verbis ad M. Aurelium & L. A. Commodum Imperatores scribit: *Γυναῖκα μὲν ἕκαστος ἡμῶν, ἢν ἠγάγετο κατὰ τὰς ὑφ' ὑμῶν τεθειμένους νόμους, νομίζων καὶ ταύτην μέχρι παιδοποιήσασθαι.* Unus quisque no-

strum

strum Uxorem suam, QUAM SECUNDUM LEGES a vobis positus duxit: uxorem existimat, usque ad liberorum procreationem. Modeste hic Athenagoras Ethnicis significat, Christianos non libidinis explendæ gratia uxores ducere; sed ut liberos suscipiant. Immo etiam ipsum vulgus Christianorum, tanto ea ætate continentiae studio tenebatur; ut Athenagoras palam id Imperatoribus testetur: *Multos apud Christianos reperiri, cum viros, tum mulieres, qui cælibes consenscant; ἢ οἷος τις ἐρέχθῃ μένειν; ἢ ἐφ' ἐνὶ γάμῳ aut qualis quis natus est, aut UNICIS in nuptiis maneat.* Hinc illud fiebat, quod is Christianos, propter hoc virtutis studium, *μονογάμους* adpellabat. (i) Tandem nemo melius de mente Apostoli judicare potuit, quam Ecclesia, quæ Apostolorum ætatem proxime attigit. Eam vero alio longe sensu, verba Apostoli accepisse, quam hodie fieri assolet: Tertullianus (k) evidentissime docet. *Quantum, inquit, detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secunda; DISCIPLINA ECCLESIAE ET PRÆSCRIPTIO APOSTOLI declarat: cum DIGAMOS non sinit præsidere; cum Viduam adlegi in ordinem nisi UNIVIRAM non concedit.* Quid hoc aliud est? quam sua ætate, quippe qui A. P. C. N. 192 factus est Presbyter, a viris apostolicis in Ecclesia, hoc sensu accepta Apostoli verba fuisse: quod iis tantum ad munus sacrum ille aditum concessit, qui unius tantum matrimonii vinculo nexi fuerant. Neque contra hoc tam clarum Tertulliani testimonium, illa exceptio aliquid valet, quod is Montanista demum, secundas quorumvis damnabat nuptias. Non enim de eo hic nobis sermo est; an ille tandem Montanista, omnes & omnium

omnium nuptias secundas damnans errabat? quod facile largimur; sed an ea ætate apostolica Tertulliani, in Ecclesia Catholica, Presbyteris secundas iterum nuptias celebrare licitum fuit? id vero est quod conceptis verbis Tertullianus negat; atque in hoc negotio *Disciplinam Ecclesiæ*, vel si mavis *Canonem Ecclesiæ*, velut argumentum maximi ponderis; ut uxori id quod voluit persuadeat, adducit. Quod vero Tertullianus, nondum Montani errore infectus, hæc ad uxorem scribebat, (k) inde clarum est; quod periodo præcedenti uxori ait, eam *non delicturam si renupsere*, h. e. si illa iterum nuptias secundas, post ejus mortem celebraverit: id quod ea quæ prius differebat ostendunt. Sed cum demum in Montani castra discessionem fecit, *non interest*, inquit, *vivo an mortuo viro nubat.* (mulier.) *Adulteratur autem, qui alteram carnem sibi immiscet, super illam pristinam, quam Deus aut conjunxit in duos, aut conjunctam deprehendit.* (1) Item, *alium habebit in Spiritu*, (virum jam defunctum) *alium in carne*, **HOC ERIT ADULTERIVM unius feminae in duos viros conscientia.**

Ergo cum jam Montanista erat Tertullianus, secundas nuptias pro adulterio habuit: (m) quas tamen sine peccato iniri posse, in libro ad uxorem scribebat. Verum communem illam de Presbyteris fuisse Ecclesiæ Sententiam, ex objectione Catholicorum, quam hi Montanistis opponebant, & quam Tertullianus etiam solvendam sibi sumsit, clarissime conficitur. *Adeo inquirunt* (Psychici h. e. Catholici) *permisit Apostolus iterare conubium; ut SOLOS, QUI SUNT IN CLERO,*
mono-

monogamiæ jugo adstrinxerit. (n) Quod demum quæso, hoc testimonio evidentius postulabis? Origenes certe, hujus rei tanquam communis Ecclesiæ consuetudinis meminit. *Ab Ecclesiasticis, inquit, dignitatibus, non solum fornicatio; sed & nuptiæ repellunt: neque enim Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua possunt esse Digami.* (o) At Origenes æqualem habebat Tertullianum. Qui locus eo melius in rem nostram facit, quod hic phralis Apostolica *μιάς γυναικὸς ἀνήρ*, eodem sensu ab Ecclesia accepta fuisse ab Origine innuitur, quo altera de Diaconissis: *ἐνὸς ἀνδρός γυνή*. Ut nunc de iis taceamus, qui ætate paullo Origene posteriores erant; sed in eundem sensum verba Apostoli interpretabantur: inter quos videri possunt Ambrosius, (p) Hieronymus, (q) Epiphanius (r), immo etiam canon Apostolorum XVII. quos ego, a Synodis Seculi secundi & tertii conscriptos fuisse, cum Beveregio censeo. Tandem inspicere possunt Canon I. Concil. Agathensis & Can. 69. Carthagin. Concil. IV. tum Laodiceni Can. I. Lucem huic rei multam denique adfundent, Justinus Martyr, (s) Athenagoras, (t) Theophilus Antiochenus, (u) Minucius Felix, (x) Basilus M. (y) & alii inspecti.

(a) 1. Tim. III. 2. (b) 1. Tim. V. 9. (c) Athenæus l. IV. c. 11. & L. XIII. in princ. (d) De administratione domestica p. m. 661. (e) In Achaic. c. 25. p. m. 591. (f) Imp. Valerianus & Gallienus. Eum inquit, qui duas simul habuit uxores, sine dubitatione comitatur infamia l. eum qui 18. C. ad l. Jul. de adulter. Sic Diocletian. & Maximianus Imp. Nemini, ajunt, qui sub ditione sit romani nominis, binas uxores habere posse, vulgo patet; cum etiam in edicto Prætoris, hujus-

jusmodi viri infamia notati sint. Cod. I. V. Tit. 5. de
 Incest. nupt. c. 2. Primus autem ex Romanis Antonius,
 duas uxores contra omnium romanorum morem habuisse,
 a Plutarcho notatus est. In collatione Demetrii & An-
 tonii. *Αντώνιος δὲ πρῶτον μὲν ὁμοῦ δύο γυναῖκας ἡγάγετο*
πρῶγμα μηδενὶ Ρωμαίῳ τολμήμενον. Primus autem Antonius
 duas simul uxores duxit: rem nulli Romanorum fre-
 quentatam hanc est ausus. Lepidum sane est, id quod
 Papyrius matri de nuptiis commentus est; sed quod egre-
 gie etiam in rem nostram facit A. Gell. l. 1. c. 23. Unam
 uni tantum semel jungi potuisse, & Dionys. Halic. l. II.
 p. 95. docuit. (g) Apud Romanos sane ea ætate qua
 Apostoli vivebant, UNIVIRÆ nomen, quod mulierem
 uni tantum viro nuptam significaverit, ex Livio, non
 multum Paulo Apostolo antiquiore disci potest. Is enim
 univiram, idem significantibus verbis UNI (viro)
 NUPTAM ad quem Virgo deducta est, adpellavit. Hist.
 l. X. c. 23. atque e sacello Pudicitæ illas exclusas fuisse,
 quæ pluribus deinde viris nupserunt, præter priorem
 maritum: ex eodem loco perspicui potest. Sed etiam S.
 Ignatius Diaconissas UNIVIRAS, iccirco VIRGINES VI-
 DUAS nominabat; quod post primas nuptias, perpetuam
 continentiam observabant. in Epist. ad Smyrn. cap. ulti-
 mo. Ita Pasiphaë post tres liberos Phædræ, Ariadnæ,
 & Androgeum susceptos: Virgilio virgo dicitur Eccl. VI.
 v. 47. Et Electra, quod nunquam collocanda marito
 esset: Inops virgo vidua ante thalamos, a Seneca Tra-
 gædo adpellatur. in Agamemn. v. 981. 992. Possem
 huc, ex Ethnicorum scriptis multa conspergere, atque
 id demonstrare, apud omnes pæne gentes moratiores
μονογαμίαν in magna semper laude fuisse; nisi aliunde
 abunde mihi constaret, talia vix sine reprehensione mul-
 torum, in hujusmodi scriptis hodie posse proferri. (h) In
 Epist. ad Diognet. §. 5. p. m. 236. (i) Legation. pro
 Christianis p. 310. Scribebat vero anno P. N. C. 177.
 (k) Ad uxorem l. 1. c. 7. (l) De Monog. c. 9. 10.
 (m) Ibid. c. 11. & in locis c. 9. & 10. adductis. (n) Ibid.
 c. 12. (o) Homil. XVII. in Lucam. (p) De offic. l.
 l. c. 5. (q) Epist. 2. ad Nepot. (r) In expositione
 fidei

fidei n. 22. (s) Apol. I. §. 29. p. 61. (t) Legat. pro Christianis §. 33. p. 311. (u) Ad Autolyicum l. 3. (x) In Octav. (y) In Epist. ad Antiochum, quæ tandem in canones recepta est. Qui autem, ab Apostolo hic loci, per Digamos, illos cum Vener. Beza in Comment. ad h. l. intelligi volunt, qui juste vel injusta de causa priori uxori repudium dederunt, recte quidem in eo sentiunt, quod eos, ab Ecclesiastico munere ab Apostolo exclusos agnoscunt; sed an in hoc sensu acquiescendum sit, & non ultra vis phraseos extendenda? longe alia est quaestio. Nos saltem videmur, id evictum dedisse, Apostolum ex more Græcorum & Romanorum qui tum vivebant; phrasen istas tum de Episcopis, tum de Viduis usurpasse.

§. III.

Eruditus Monachus S. Mauri, (†) qui Justinum, Athenagoram cet. Parisiis edidit, (a) majorem in modum sibi placet, in Justinii Martyris verbis, quæ Apologia prima (b) reperiuntur: *Οὐ γὰρ, Justinus inquit, ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιήθεις Ἰησοῦς χριστός ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν. οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγον, τοῦ παρ' αὐτοῦ, εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς, αἷμα καὶ σὰρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν· ἐκείνου τοῦ σαρκοποιήθέντος Ἰησοῦ καὶ σὰρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.* *Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum, per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, & carnem & sanguinem habuit, nostræ salutis causa: Sic etiam, per preces verbi, per illud verbum (precatio- nis) ab illo (traditum) benedictam alimoniam, ex qua (alimonia) sanguis & corpora nostra, per transmutationem nutriuntur; illius incarnati Jesu & car-*
nem

nem & sanguinem esse edocti sumus. Sic intricatâ hæc verba reddidimus. Omnem hic lapidem Vir Doctiss. movit, (c) ut conficiat, Justinum eadem cum Pontificiis de S. Cœna sensisse, & penitus ex mente eorum scripsisse. Sed quam sterilis sit omnis ille, quem huc impendit labor, paucis ostendemus. Ex Justini verbis, inde Vir Cl. argumentum sumere conatur, quod in loco adducto, Justinum putat docere; Christianos, eadem prorsus ratione credere, Christi D. corpus in S. Cœna esse; quam de eo persuasi fuerunt, Christum verum corpus humanum habuisse. Atque ita sibi Vir Cl. plane persuasit, Justinum inter incarnationis mysterium & Eucharistiam, comparisonem hic instituisse. At omne aliud potius, quam quod ille contendit, Justinus docet. Id primum de Christianis, Justinus ingenue confessus fuerat, eos Christum D. verum profiteri Deum, (d) qui ex virgine verus homo natus est: (e) tum Divinitatem ejus probavit, (f) denique id etiam narrare exorsus fuit, quos ritus in sacris faciundis adhibeant. (g) Quare perspicue docet, Christianos illis, qui jam apud eos per baptismum, religioni illi, quam antea de Patre Filio & Spiritu sancto exposuit, initiati sunt; panem & vinum dare, sive cibum aliquem, (h) sed non vulgarem aut vilem; verum talem, qui postea quam per preces consecratus est, illius Jesu, quem ante, carnem humanam sibi propriam adsumpsisse ostendit; corpus & sanguis deinceps ab iis habetur, non autem panis & vinum vulgare. l. c. Nullus hic penitus sermo est, de imaginaria illa Pontificiorum *transubstantiatione*; sed simplicissime adfirmat, Christianos panem & vinum, postea

Tom. II. P p quam

quam per preces consecrata sunt, Jesu Christi corpus & sanguinem vocare. Quid enim aliud vult? cum dicit, ἐδίδαχθημεν εἶναι, *edocti sumus esse*, id est, ut antea locutus est, non vulgarem panem amplius vocamus, sed corpus Christi. Id quod, & nos ipsi lubentissime dicimus & facimus. Atque eadem ratione, qua olim Justinus sentiebat, nos etiam, *per transmutationem alimentorum panis & vini, corpus & sanguinem nostrum, in S. Cæna nutriri*, uno ore profitemur. Id quod Pontificii pernegant, cum post benedictionem, non amplius panem superesse adfirmant, sed species nudas. (i) Quibus umbris, corpora nostra posse nutriri, is tantum credet, qui numi argentei sonitu, etiamsi pecunia creditori non tradatur; debitum tamen posse persolvi, sibi persuadeat. Accedit ad hæc illud etiam, quod si eadem cum Pontificiis, de vino Cænae Dominicæ Justinus sensisset: nullo modo videtur Ethnicorum calumniam potuisse depellere & objectioni eorum satisfacere. Hi enim, Christianos in suis sacris αἱματος ἐμπίπλασθαι *sanguine impleri* ajebant. (k) Quod si enim Justinus credidit, Christianos in suis sacris cœtibus, sanguinem Christi ore haurire: sane Ethnicorum illa vox, non calumnia; sed vox verissima fuerat. Neque video, quomodo alias, Justinus negare potuisset: Christianos ταῦτα τὰ μαθήματα φεύγειν, *hujus generis doctrinas, quod sanguine impleantur fugere*, (S. eodem.) si de omni sanguine, hoc intellectum voluit. Id enim Justinus, nullo modo ignorare potuit, doctrinam de S. Cæna occasionem Ethnicis dedisse, ut eas, de sacris Christianorum opiniones foverent; eos illiç carnes humanas vorare, convivia-
que

que Thyestea agitare ; simulque sanguinis haustu impleri : & tam sacrato poculo , velut aucto-ramento quodam , ad scelera compingi. Nusquam commodius , quam hic loci Justinus respondere potuisset ; Christianos non infantum vel hominum aliorum sanguinem bibere , sed Christi. At ille , a Christianis sanguinem bibi rotunde negat : im-
mo vero palam testatur , eos talia dogmata fuge-
re , & quod hujuscemodi instituta , Ethnici , iis adfingunt , *εις ἀνατίκας (χριστιανὸς) περιβάλλουσι*
(§. eodem.) Justinus sane , quod Corpus Christi non ori & dentibus dari putaverit : sed panem *ad recordationem mortis Christi , & poculum in com-
memorationem fusi sanguinis esse institutum* , credide-
rit : totidem verbis ille ipse docet. (1) Ut adeo nihil præsidii , Cl. Virum in Justino , pro errore suo incrustando reperisse palam sit.

(†) Est is Prudentius Maranus , Bibliothecæ S. Ger-
mani præfectus , ut quidam ex Amicis meis , qui cum eo
Parisiis nuper versabantur , retulerunt. (a) 1742. in
fol. (b) §. 66. pag. 83. (c) præf. suæ quam Ju-
stino præmisit Part. II. c. 9. (d) §. 13. p. 50.
§. 23. p. 57. (e) §. 30. - - 34. p. 65. (f) §. 38. p. 41.
45. 50. 51. 60. (g) §. 61. 65. p. 82. 83. (h) Vide lo-
cum citat. ad (b) (i) Concil. Trid. sess. 13. Can. 2.
p. m. 59. (k) Apol. II. §. 12. p. 97. (l) Dial. cum
Tryph. §. 41. p. 137. Dialog. ejusdem §. 70. pag. 169.

§. IV. Non minus eruditus ille Vir , (a) acri-
ter contendit , Justinum credidisse , Eucharistiam
esse sacrificium proprie dictum : sed quod eum ,
idem præjudicium , quod ante ad Justinum le-

gendum attulerat in errorem induxerit ; velut in compendio videbimus. Clarissima illa Justinus sunt (b) ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι , τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοι εἰσι τῷ θεῷ θυσίαι. - ταῦτα γὰρ μόναι καὶ χριστιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν , καὶ ἐπ' ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς , ἐν ἧ , καὶ τοῦ πάθους , ὃ πέπονθε δι' αὐτοῦ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ μέμνηται. *Equidem preces & gratiarum actiones, quæ a dignis peraguntur, SOLA SUNT PERFECTA ET ACCEPTA DEO SACRIFICIA.* Hæc enim sola (sacrificia) Christiani peragere didicerunt, etiam in recordatione alimonie suæ siccae & liquidæ, in qua (Alimonia) passionis, quam Filius Dei propter eos pertulit recordantur. Cum hæc ita Justinus exposuit, sequenti §. statim subjicit : (c) *Hic enim eximius Sacerdos & Rex æternus Christus, cujus in secundo adventu, ne existimetis Esajam aut ceteros Prophetas dicere, sacrificia sanguinis aut libationum altari imponi: ἀλλὰ ἀληθινὰς καὶ πνευματικὰς αἶνας καὶ εὐχαριστίας.* Sed veras & spirituales laudes & gratiarum actiones. Doctiss. Editor vertit, sed vera & spiritualia, laudes & gratiarum actiones id est sacrificia: cum tamen omnes codices illa duo adjectiva, virili genere legunt; atque ita ad αἶνους referuntur. Hoc tantum Editor in notis ad h. l. monet, *Visa est mihi interpunctio necessaria, id est post vocem πνευματικούς.* Credo sane, sed quam ab eo, non regulæ bonæ interpretationis; nedum Justinus requirebat. Justinus enim Tryphoni ait, non amplius proprie dicta sacrificia altari imponi, illud enim tempus quo id fieri solebat, exspiravit: sed laudes & gratiarum actiones Deo offerri; quæ, sola sunt vera sacrificia. Eadem prorsus ratione, ut in expositione rectæ confessionis

tionis §. 18. ad finem. *χριστῷ θύομεν διηνεκῶς
 θυσίαν ἀνέσεως, καὶ σπένδομεν ὡς θεῷ δέησεις εἰλικρι-
 νεῖς, καὶ θύομεν εὐωδίαν πράξεων, αὐτὸν ἑαυτοῖς
 ἀνασρέφοντες, αὐτὸν ἀναπνέοντες, αὐτὸν λογιζόμε-
 νοι, αὐτῷ προσανέχοντες, αὐτὸν ἐν πᾶσιν ὑμνῶντες
 τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ χορηγὸν τῆς ἀνωτάτω βα-
 σιλείας.* „ *Christo immolamus hostiam laudis & li-*
 „ *bamus ut Deo sinceras PRECES, & bonum*
 „ *odorem ACTIONUM SACRIFICAMUS: in eo*
 „ *toti sumus occupati, ipsum spiramus, ipsum*
 „ *cogitamus, in ipsum sumus intenti, ipsum in*
 „ *omnibus laudamus: beatam spem ac supremi*
 „ *regni largitorem.* „ Ex quibus intelligitur,
 solas preces & gratiarum actiones, Justinum sa-
 crificia Christianorum credidisse, uti ejus verbis
 docuimus evidentissime. Neque panem aut vi-
 num Eucharisticum, ille unquam sacrificium esse
 cogitavit: sed in hujus etiam Cœnæ Dominicæ
 celebratione, sacrificii vices explere, preces &
 gratiarum actiones conjunctas, existimavit. Enim-
 vero in loco citato (b) Panem vocat ejuscemo-
 di alimoniam aridam, vinum autem potum liqui-
 dum, in quorum usu Christiani, passionis Christi
 recordantur. Cum enim prius dixisset, *preces &
 gratiarum actiones sola esse perfecta sacrificia: ita*
 continuo differit: *Hæc enim sola (preces & gratia-
 rum actiones) tradita acceperunt Christiani facere,*
etiam in recordatione alimonix cet. Ergo in S. Cœ-
 na, Justinus putavit preces & gratiarum actiones
 esse sacrificia; panem autem & vinum alimoniam
 talem, in cujus esu & potu, Christiani passionis
 Christi recordantur. Non difficulter itaque nunc,
 ad locum Justini (d) quem Doctiss. Editor tan-
 to animi æstu adversus Cl. Pfaffum urget (e) re-

spondebimus ; περι δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν
 τῶν ἑθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν , τουτέστι τοῦ
 ἄρτου τῆς εὐχαριστίας , καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς
 εὐχαριστίας. De iis autem , quæ in omni loco a nobis
 gentibus offeruntur ei sacrificiis : hoc est de pane eucha-
 ristia & de calice similiter Eucharistia. Hic sane
 cum panem & poculum sacrificium vocat , non pa-
 nem aut calicem putat esse sacrificium Christiano-
 rum ; quis enim tam absurdus sit , qui credat
 poculum auro , tilia vel fagina celatum , sacrifi-
 cia esse Christianorum. Tiresia ipso sit cæcior
 ille oportet , qui non videt , figurate S. Justinum
 loqui , & ἄλλο πρὸς ἄλλο nominare. Quod sacris
 juxta ac aliis scriptoribus usitatissimum est. Præ-
 terea Pontificii negant , panem amplius superesse
 post consecrationem in Eucharistia : qui igitur
 erit sacrificium , quod ne existit quidem ? Deni-
 que Pontificii , non panem aut poculum dicunt
 esse sacrificium , ut Justinus locutus est ; sed cor-
 pus & sanguinem Christi proprium , quod in cru-
 ce jam semel oblatum est , illud iterum in Missa
 immolatum , sacrificium esse contendunt. (f) Quid
 igitur hoc Iustini testimonium , ad eorum sacri-
 ficium incruentum ? Facillimum vero id est ex-
 pedire , cur panem & poculum , Justinus *sacrifi-
 cium* ajebat. Enimvero , nec panis , nec vinum
 S. Cœnæ , prius in sacro cœtu dividebatur , quam
 preces & gratiarum actiones , a Præsede sacrorum
 recitatae fuissent. (g) Atque hæc est ratio , cur
 S. Cœnæ , nomen Eucharistia a veteribus datum
 est , & quasi proprium id nomen ei hæsit ; quia
 ὁ προεστὼς εὐχὰς καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἐπὶ
 πολὺ ἀναπέμπει , ut Justinus loquitur. (h) *Is qui
 Præst , PRECES ET GRATIARUM ACTIONES ,*
totis

totis viribus emittit. Quod vero, pluribus verbis conceptæ fuerint ejusmodi preces, ex Irenæo etiam intelligi potest. (i) Quare, cum panem & calicem benedictionis, Justinus sacrificium hic adpellabat; dubitari nequit, illum preces & benedictionem, quæ pani & vino jungebantur; sacrificia esse, intellexisse. Alias enim Justinus sibi contradiceret, quod ex antea dictis perspicui potest. Neque alio sensu, seculi secundi scriptores, locutos fuisse, quam nunc statim exposuimus, facile reperias. Unus nobis Clemens Alexandr. Origenis præceptor, qui iisdem pæne verbis quibus Justinus usus est, sufficiat. (k) Tandem, quod ultimo loco Vir doct. posuit argumentum, Justinum scilicet docere, *Christianos in hoc sacrificio, passiones Christi recordari*; vide lit. (b) §. hujus. id prorsus falsum est. Non enim ait Justinus, ἐν ἡ θυσίᾳ, sed ἐν ἡ τροφῇ *in qua alimonia.*

(a) Præf. in Just. part. II. c. 10. (b) Dial. cum Tryph. §. 117. p. 210. (c) Dial. eodem §. 118. p. 211. (d) Dial. eod. §. 41. p. 138. (e) In Præf. in Justin. part. II. pag. 43. (f) Concil. Trid. Sess. 22. c. 2. p. m. 109. (g) Apol. I. Justin. §. 65. 67. (h) Ibid. Justin. (i) Irenæus lib. I. cap. 13. §. 2. (k) Stromat. lib. VII. de oration. θυσίαι τῷ θεῷ εὐχαί τε καὶ ᾄνοι, καὶ αἱ πρὸ τῆς ἐσιώσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν· ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι κ. τ. λ.
 „ Sacrificia sunt Deo preces & laudes, & ante sumtas epulas
 „ lectio Scripturarum : Psalmique & hymni. „ Cum autem
 apud alios vet. Eccl. Doctores nonnullos, qui seculis deinde quarto & sequentibus, usque ad sextum florebant, Eucharistia ἀναίμακτος θυσία sacrificium incruentum dicitur; id idcirco fit, quoniam in Eucharistia fit commemoratio sacrificii a Christo semel peracti & oblati. Pulcre id B. Chrysof. Hom. XVII. in Ep. ad Hebr. docuit:

οὐκ ἄλλην θυσίαν , ἀλλὰ τὴν αὐτὴν αἰεὶ ποιῶμεν , μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα τῆς θυσίας. Non aliud SACRIFICIUM sed idem semper facimus; immo vero, RECORDATIONEM potius ejus celebramus.

§. V.

Veterum Ecclesiæ Doctorum , quos *Patres* hodie vocamus , scripta , multo auro nitere qui non fateatur: eum vero insigniter oportet esse impudentem. Sed non minimi ponderis , sæpe auro illi adhæsisse scorias; merito dolemus. Et si autem errores, quos Doctores illi nonnullos errabant, tam aperti sint, ut illos vel ultimi subsellii Theologorum discipuli errores esse probe intelligant: tamen non desunt bene multi, limatissimi alias judicii Viri , qui cum illos excusare nequeunt; pallio saltem injecto, tegere conantur. Arduam, multisque difficultatibus, de æterna Filii generatione tractationem esse obnoxiam; nemo non fatebitur. Plures ex Patribus, sublime hoc argumentum, imprudentius sæpe tractasse, atque ineptas oppido interpretationes adduxisse; plures ante me Viri eruditissimi demonstrarunt. Quamquam vero Editor Parisinus Justinus & aliorum, id non ignorabat, non desuisse etiam in Ecclesia Romana Viros doctos, qui Græcos illos Patres ob certos errores notaverunt; ille tamen hos, ab eorum argumentis vindicare conabatur. Equidem quod me attinet, nullius eorum istius generis scripta ad manus meas pervenerunt; nec quemquam ex Protestantium Scriptoribus, qui Patres istos castigasset consului: quædam tamen interea dum hos legebam in mentem veniebant, quæ animadversione digna esse judicavi. Atque ut a
Justi-

Justino initium faciam, vehementer id mihi displicebat, quod is Filium, Patris SEMEN adpellabat: Τὸ παρὰ τῆ Θεῆ [Πατρὸς] σπέρμα (a) atque hujus Dei Filii SEMEN, omnibus hominibus innatum esse dixit: Ἐμφύλον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τῆ λόγος. (b) ita & λόγος σπόρας meminit. (c) Quare id etiam, si quid veri, aut præclari Philosophi repererunt; per filium factum fuisse narrat: eo quod PARTICULAM ex diseminato VERBO divino, [hoc est Filio] sibi congenitam habebant. Quam quisque deinde, in seipso intuitus, præclari aliquid loquebatur. Ἐκαστος γάρ τις, Justinus ait, ἀπὸ μέρους τῆ σπερματικῆ θεῆς λόγος, τὸ συγγενὲς ὄρων, καλῶς ἐφθέγγετο. (d)

Quod autem hic σπερματικὸν λόγον, Justinus Christum intelligat ex §. præcedente VIII intelligitur. Οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν, εἰ τὰς ἑ κατὰ σπερματικῆ λόγος μέρος, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῆ πατρὸς λόγος ὁ ἐστὶ χριστῆ γνώσιν καὶ θεωρίαν, πολὺ μᾶλλον μιτεῖσθαι οἱ δαίμονες ἐλεγχομένοι ἐνεργῆσιν. *Minime autem mirum, si quis non Partem aliquam DISSEMINATI VERBI; sed secundum totam Verbi; HOC EST CHRISTI, cognitionem & contemplationem, [vivunt], multo majora demones convicti in eos concitant.* Certe similia hæc iis sunt, quæ Justinus Martyr, de origine fictorum Deorum, Poetas docuisse §. V. agebat: Ποιηταὶ καὶ μυθολόγοι ἀγνοῦντες τὰς ἀγγέλους, καὶ τὰς ἐξ αὐτῶν γεννηθέντας δαίμονας - - - εἰς αὐτὸν τὸν Θεὸν, καὶ τὰς ὡς ἀπ' αὐτῆ ΣΠΟΡᾶ γενομένους υἱὸς, καὶ τὰς ἐκείνους ἀδελφὸς ποσειδῶνος καὶ πλάτωνος - - - καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν ἀνήνεγκαν. *Poeta & fabularum Scriptores ignorant Angelos, & ex illis genitos demones: - - - in Deum ipsam, & velut ex ejus*

SEMINE genitos filios, & ejus fratribus [genitos] Neptuno ac Plutone, & filios eorum [ea quæ dæmones perpetrarunt] transtulerunt. Quis non Græcorum ac Romanorum has Justinii loquendi rationes inter se conferens, Filium quoque simili modo a Patre genitum cogitabat? quamquam non per materiæ abscissionem, generationem fuisse factam ille dicitaret.

An vero Justinus Deum Filium, æquali cum Patre cultu ac honore adorandum crediderit? res est altioris indaginis. Enimvero id valde familiare est Justinio, ut is Filium coli a Christianis adfirmet POST Deum Patrem: uti §. XIII. Apol. II. τὸν γὰρ λόγον μετὰ τὸν Θεὸν προσκυνῶμεν καὶ ἀγαπῶμεν. VERBUM enim post Deum [τ. ε. ἀγέννητον] adoramus & amamus. Hoc est, ut Apol. I. §. 13. explicuit. ἐν δευτέρῃ χώρῃ ἔχουσι. secundo loco habent. Parisinus ille Editor, nihil intentatum reliquit, ut id Lectoribus suis persuadeat; Justinum rectissimam de Filio fovisse sententiam: atque probare conatur Justinum sancte credidisse, Filium cum Patre, æquali esse honore adficiendum. Sed quam feliciter id fuerit ille exsecutus, paucis ad examen vocabimus.

I.] Sic Filium secundo loco, ait Monachus, & Spiritum Sanctum tertio collocat Justinus, ut eos minime cum rebus creatis conjungat; sed cum Patre, ut videre est n. VI. & XIII. Apol. I. ergo nihil de Filii æqualitate detrahit. Quod si locus ille adductus §. XIII. incorruptus est, tum argumentum plus concludet, quam Cl. Monachus voluisset. Ibi enim Patri, non modo Filius & Spiritus S. junguntur: sed
etiam

etiam Angeli. Atque de Angelis Justinus ibi adfirmat, eos a Christianis cum Patre, Filio & Spiritu S. adorari: immo quod plus est, Angelos ratione cultus Spiritui Sancto anteponit. Ergo si ex eo, de æqualitate Filii Vir Cl. judicat, quod in loco citato, Patri Filius jungitur: etiam Angelorum cum Patre & Filio æqualitatem agnoscat necesse est. Sed ne id quidem verum est, Filium cum rebus creatis non conjungi. Etsi enim Angeli sint res creatæ: tamen ratione cultus Filius cum iis, in una classe a Justino §. XIII. adducto collocatur. Sed de hujus loci integritate §. VII. aliquid dicetur. Id quidem verum est Justinum jungere Patri Filium: sed illud etiam claris verbis docet, Christianos Filium ἐν δευτέρῃ χώρῃ ἔχειν, μετὰ τὸν αἰεὶ ὄντα Θεόν. *Secundo loco habere post Deum sempiternum* [id est Patrem]. Certe & ipse Plato, Magno Deo Jovi, exercitum Deorum & dæmones junxerat, Thales autem dæmones & heroës: neuter tamen eorum hos Jovi comparandos nedum æquiparandos putabat. (e) Cum autem Cl. Vir addit: *Justinum monuisse, hoc insanum visum esse Ethnicis & incredibile, quod Christum æquali honore cum Patre Christiani coluerunt*: errat, & quidem gravissime. Enimvero non id visum est Ethnicis insanum, & incredibile, quod Christiani Dei Filium adorent; is si Filium aliquem habet: sed hoc iis absurdum videbatur, quod homini cruci adfixo, secundas partes in cultu divino, post Patrem detulerint. Adscribam Justinus verba, ne quid sine libro recitare videar: Ἐνταῦθα γὰρ μανίαν ἡμῶν καλαφαίνοντα δευτέραν χώρῃ μετὰ τὸν ἀτρέπτον καὶ αἰεὶ ὄντα Θεόν, καὶ γεννήτορα τῶν ἀπάντων, ἀνθρώπῳ σαρωθέντι δίδοναι ἡμᾶς λέγοντες ἀγνοῦντες τὸ ἐν τέτῳ μυσήριον. „ Hoc enim „ loco

„ loco insanix nos accusant, post immutabilem
 „ & sempiternum Deum, & universi Parentem:
 „ homini cruci adfixo, secundum a nobis locum
 „ deferri dicentes: ignorantes in hoc negotio my-
 „ sterium. „ (f) Ex Justino ipso hic clare intelli-
 „ gitur, eum id pro mysterio habere, quod etsi Chri-
 „ stus Deus fuerit; is tamen se cruci adfigi passus
 „ est: hoc erat quod Ethnici ignorabant. Quare di-
 „ vinitatem Christi, is se demonstraturum promisit:
 „ ita enim orationem continuat: *Quod dum exponi-*
 „ *mus; [mysterium] ut attente audiatu hortamur.* Ve-
 „ rum ne id quidem recte a Monacho dictum est,
 „ incredibile Ethnicis id fuisse visum, quod cum
 „ Deo Patre Filium colebant. Nam ea plane erat
 „ ratio, cur Christianos, tot malis Ethnici adficie-
 „ bant, quod persuasi de eo fuerant, Christianos
 „ hominem cruci adfixum pro Deo habere ac co-
 „ lere. Id tandem admonere debeo, nusquam id
 „ Justinum demonstrasse, quod Christiani eodem
 „ cultu Filium adficere debent, quo Patrem cole-
 „ bant: sed id solum pervincere conabatur, Chri-
 „ stum qui in crucem actus est esse Deum, & qui-
 „ dem universi Parentis Filium.

2.] Altera quam Vir Cl. adtulit ratio, priore
 non multo est solidior. „ Apud ipsos, inquit,
 „ Scriptores profanos, sæpe locus secundus, cum
 „ æqualitate jungitur. Sic Themistius etsi
 „ primas veteri Romæ, secundas Constantinopoli
 „ defert pluribus locis, imprimis Orat. 3. p. 42.
 „ æquale tamen imperium utrique attribuit. „ Hic
 „ vero Vir Cl. non id probat, quod debebat. Non
 „ enim de eo quæritur, an locus secundus, loco
 „ priori jungatur? Sed an loco secundo ceteri,
 „ idem

idem valeat, quod loco priorī prorsus æquali haberi? Cur Themistius Constantinopoli & Romæ æquale adscribebat imperium, difficile non est expedit. Id enim notissimum est, multos Imperatores post tempora Constantini M. nunc Romæ, mox Constantinopoli sedem fixisse, atque jura summi imperii exercuisse. In qua igitur urbe, sedem cum imperio tum Imperator constituit: istum a civibus primus locus habebatur: uti hoc dissidia Episcoporum Constantinopolitani & Romani elegantissime demonstrarunt. Sed cur Justinum ex Themistio, & non potius ex Justino explicamus? id vero ad finem §. hujus docebo: Justinum Deum Filium, minorem Patre existimasse.

3.] Tertia etiam quam Vir Doctiss. adduxit ratio prioribus non est firmior. *Cum æqualitas, inquit, in personis divinis, in unius substantiæ consortio posita sit: Generationem mirifice expositam videbimus in Dialog. n. 61. 128.* Vult dicere Vir Cl. Justinus credebatur ex Patre natum esse Filium, & verum esse Deum. Ergo æquali etiam cultu cum Patre prosequendum censuit. Quamquam vero hic antecedens concederem; conclusio tamen non necessario fluit. Nam & Regum filii nascuntur ex regibus; non tamen pari cum Parente honore adficiuntur. Nec in malam partem Vir Doctiss. hanc comparisonem sumere debet. Justinus enim non minus inepta huic nostræ comparisonem usus est; cum is, ignis ex igne factam propagationem, generationi Filii applicuit. Cum vero vir doctus addit, *ignis ex igne accensi exemplum, nobis demonstrare, totam Patris substantiam, omniaque ejus attributa esse in Filio: ego sane non*
video,

video, unde is hæc colligat. Cum enim ignis A. & ignis B. duo sint entia: hæc per principium indiscernibilium eadem esse non possunt; sed sunt entia similia. Immo cum Justinus, ad Filii generationem enarrandam exemplum ignis adtulit, is propositioni suæ, oppido adversum adferebat exemplum. Id enim ex physicis abunde liquet, ignem corporibus ceteris, per particularum subtilissimarum emissionem communicari seu per effluvia: adeo ut illæ particulæ, per quas corpus aliud ignem concipit, a corpore priore abscindantur, & in aliud transfundantur. Ut nunc de magna illa difficultate taceam, quod ubi ex igne in corpus aliud ignis propagatur, ibi datur successio momentorum atque ita tempus. Solis autem & radiorum comparationem ut valde ineptam ipse Justinus rejicit. (g) Denique Justinus de Christo ait, quod is sit ἀπὸ τῆ πατρὸς γεννηθεὶς a Patre genitus; sed non ἐκ τῆ πατρὸς, nedum ἐκ τῆς ἑσίας τῆ πατρὸς ex Substantia Patris. Quo modo ergo genitum esse Filium ait Justinus? δυνάμει καὶ βελῆ αὐτῆ [τ. ε. πατρὸς] (h) Virtute & VOLUNTATE Patris. Cui bono hæc scribebat, si Patrem ex substantia sua Filium genuisse putabat? id enim quod ex substantia alicujus, vi internæ virtutis prodit; hoc natura sua fit, non autem voluntate. Quare §. 61. Dialogi ejusdem, cur Jesus Christus, nunc Filius, nunc Deus, nunc Dominus & Verbum adpelletur: hanc rationem reddit; quia Patris voluntati ministrat, & quod ex Patris Voluntate genitus est: ἥτις [δύναμις] καλεῖται, πρὸς δὲ υἱὸς - πρὸς δὲ Θεὸς, πρὸς δὲ κύριος καὶ λόγος. - - ἔχειν γὰρ πάντα προσονομάζεσθαι, ἐκ τε τῆ ὑπερέειν τῷ πατρικῷ βελήματι, καὶ ἐκ τῆ ἀπὸ τῆ πατρὸς θελήσει γεγεν-

γεννηθῆναι. En tibi rationem, cur Justinus Fili-
um, Deum esse credebat; quia scilicet eum Pa-
ter Deum esse voluit. Quam male Justinus etiam
de Divinitate, vel potius Deitate nostri Servato-
ris senserit; ex hoc quem adscribam loco distin-
cte elucescet. Ita enim Justinus Tryphoni de Chri-
sto D. diserit: Ὁυχ ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων ἔσαι Θεός,
ὁ τῷ Μωσέϊ εἰπὼν, αὐτὸν εἶναι Θεὸν Ἀβραὰμ καὶ
Θεὸν Ἰσαὰκ καὶ Θεὸν Ἰακώβ, ἀλλ' ὁ ἀποδειχθεὶς ὑμῖν
ὄφθαι τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ Ἰακώβ τῇ τε ποιητῆ τῶν
ὅλων θελήσει ὑπηρετῶν, καὶ ἐν τῇ κρίσει τῶν Σοδό-
μων τῇ βελῆ αὐτῆ ὁμοίως ὑπηρετήσας. „ Non est

„ Creator universi, Deus Mosi dicens ipsum esse
„ Deum Abraham, Isaac & Jacob: sed ille idem
„ qui demonstratus est, apparuisse Abrahamo &
„ Jacob, ac Creatoris universorum voluntati mi-
„ nistrare; etiam in judicio Sodomorum, volun-
„ tati ejus eodem modo ministrabat. „ (i) Cla-
rissima hic sunt Justini verba, Christum non esse
Creatorem universi; sed Dei illius qui Creator est
voluntati ministrantem. Quod si igitur Justinus
Deum filium Creatorem esse non credebat, eum
Patre minorem esse ut confiteretur necesse est. At-
que hic unicus locus, ad rationem secundam a
Cl. Monacho adductam evertendam, sufficeret.

(a) Justinus Martyr. Apol. I. §. 32. pag. 32. (b) Apo-
log. II. §. 8. pag. 94. (c) ibid. §. 13. pag. 97. (d) ibi-
dem. (e) Vide apud Athenag. Legat. pro Christian.
§. 24. pag. 300. (f) Justin. Apol. I. §. 13. pag. 51.
(g) Justin. Dialog. cum Tryph. §. 128. pag. 121. (h) ibid.
(i) Dial. eod. §. 60. pag. 157.

§. VI.

Neque nunc difficile nobis foret, Tatiani & Athenagoræ gravissimos errores demonstrare, atque eodem modo quo præcedenti paragrapho egimus, ratiocinia Cl. Monachi, quibus illos vindicare ab erroris culpa conatur, dissolvere. Tatianus certe Filium, Patris ἔργον vocat seu *productum*. Unde etiam de Deo Filio absurdissime affirmat, quod cum is ante, cum reliquis entibus in Patre substitisset; tandem vi voluntatis Dei Patris προσηδᾶ profiliit. (a) Non multo his saniora apud Athenagoram reperies. (b) Is enim iccirco Filium, unum cum Patre esse existimat, quia Filius ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ τῆ πατρὸς ἐστὶ. πρὸς αὐτῆ γὰρ, καὶ δι' αὐτῆ (ἰδέαν) πάντα ἐγένετο: *in idea & operatione Patris est; ad ejus enim & per ejus (ideam) omnia facta sunt.* Ita enim hæc vertenda esse periodus sequens monstrat. πρῶτον γέννημά ἐστι τῆ πατρὸς, ἔν ὡς γενόμενον - - ἀλλ' ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων . . . ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ προελθῶν. *Prima progenies est Patris, non ut facta sed ut materialium omnium rerum idea & operatio prodiens.* Quis vero illa recte capere possit, cum Filium, νῆν καὶ λόγον *Mentem & Ratiocinium* Patris adpellat? λόγος enim sive Filius, quod Patris sit *Ratiocinium* ita ipse §. eodem, explicat ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς νῆς αἰδῖος ὢν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, αἰδῖως λογιστὸς ὢν. *Cum enim Deus ab æterno mens sempiterna esset, in seipso VERBUM habuit: est enim ab æterno RATIONALIS.* Cur Verbum seu Filium habuit Pater? quia ab æterno, Athenagoras inquit Pater erat *Rationalis*. Hoc quid sibi velit ego me non capere lubens fateor. Similia his apud Tertullianum (c) invenies. *Deus, inquit,*

ne tum solus; [id est ante creationem] habebat enim secum, quam secum habebat in temet ipso RATIONEM suam scilicet. Quare merito Athenagoras a Petavio notatus est, (d) cum quod ante creationem Filium cum Patre confundere, tum vero quod in creatione demum Filium a Patre prodiisse, docere videatur. Rationes quas Cl. Editor adhæc loca adduxit, non moror; eas enim nexus orationis, probe a Lectore inspectus, facile confutat.

(a) Tatianus Assyrius in Orat. contra Græcos §. 5. pag. 247. (b) Athenag. Leg. pro Christian. §. 10. pag. 286. 287. (c) Adversus Praxeam cap. V. (d) Citante Editore ad l. c. Athenagoræ.

§. VII.

Magnum præsidium cultus Angelorum apud Justinum Cl. Editor reperisse sibi visus est. Quare integram nobis commentationem de ea re, in Præfatione sua dedit. (a) Quid mihi de ea re videatur paucis exponam. Justini ergo verba adscribam: Ἐνθὲν δὲ καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα. Καὶ ὁμολογῶμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων Θεῶν ἄθεοι εἶναι ἄλλ' ἔχι τῆ ἀληθεστάτῃ, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτη τε, κακίας Θεῶ. ἄλλ' ἐκεῖνον τε, καὶ τὸν παρ' αὐτῆ υἱὸν ἐλθόντα - - - καὶ τὸν ἄλλων ἐπομένων καὶ ἐξομοιζομένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμα τὲ τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνῶμεν, λόγῳ καὶ ἀληθεῖα τιμῶντες. Hinc factum est, ut Athei vocemur. Atque Atheos quidem nos esse confitemur, si de ejusmodi Diis agatur: secus vero si de verissimo illo, & justitiæ & temperantiæ ac ceterarum VIRTUTUM Patre &

Tom. II. Qq nulla

nulla vitia admixta habente Deo sit sermo. Sed eum
 [Patrem] & Filium, qui ab eo venit - - - & cetero-
 rum qui illum asseclantur, eique adsimilati sunt Ange-
 lorum exercitum, & Spiritum phropheticum colimus &
 adoramus: ratione & Veritate venerantes. (b). Multis
 nominibus mihi hic locus suspectus est, quem li-
 brariorum incuria corruptum esse existimo. Enim-
 vero cum Justinus, hoc Christianis adfectum cri-
 men, quod illi sint Athei diluere conatur: perio-
 dis antecedentibus id docet, malos Angelos hæc
 in Christianos efficere, qui etiam Socratem per ma-
 los homines necarunt; quod is ab eorum cultu
 homines abducere conaretur. Ea vero per Socra-
 tem Verbum, hoc est Filius, fecerat. Hinc Chri-
 stianos fidem habere ait, VERBO, ex cujus insti-
 tutione edocti Dæmones istos qui ad ad tam im-
 pia abducunt, ἔ μόνον μὴ ὀρθῶς εἶναι, ἀλλὰ κακῶς
 καὶ ἀνοσίχθες δαίμονας λέγουσιν. Non modo non bonos vel
 rectos, sed etiam malos & nefandos dæmones dicunt.
 „ Quod si, inquit, hujusmodi confictos Deos pro
 „ Diis non habemus, atque iccirco Athei dici-
 „ mur, hoc sensu Atheos nos esse fatemur: ve-
 „ rum si de Patre illo justitiæ ac temperantiæ, si
 „ de Deo, cui nullæ sordes vitiorum admixtæ, si
 „ de Patre VIRTUTUM, καὶ τὸν ἄλλων ἐπομένων
 „ καὶ ἐξομοιζμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, si de
 „ Patre aliorum bonorum Angelorum qui ipsum
 „ imitantur & ipsi adsimilati sunt agatur: Athei
 „ minime sumus. Illum enim [Patrem] & Filium
 „ qui ab eo venit, Spiritumque propheticum co-
 „ limus & adoramus: verbo & opere. „ Quo-
 tus quisque inter eos est, qui veteres Codices Ma-
 nuscriptos examinavit, qui id nesciat: sæpe libra-
 rios id quod in antecedente linea erat, in sequen-
 tem

tem transtulisse. Id docent tot variantes quas habemus lectiones. Est hæc quam adtuli conjectura, non diffiteor; Codices enim MSS. veteres Justinis ad manus non habeo: quorum auctoritate hanc quam adtuli opinionem, confirmare possem. At vero rationes mihi sunt valde graves, cur hunc Justinis locum ita perturbatum crederem. Enimvero si Justinus vir sapiens ac candidus erat, [talem vero eum fuisse §. X. demonstrabo] iniquum esset credere, eum sibi ipsi post paucas lineas, velle contradicere. Etenim paullo post §. 17. ait: "Ὁ Θεὸς Θεὸν μὲν ΜΟΝΟΝ προσκυνῶμεν. Proinde nos SOLUM Deum adoramus. (c) Quod si eruditi illi Ethnici Romani & Græci, Justinis scripta legebant, si locus ex Justino adductus incorruptus est, cum ea dici videbant, Christianos Patrem, Filium, Spiritum S. & bonorum Angelorum EXERCITUM colere ac adorare, quid aliud judicare potuerunt, quam quod Christiani immensum quemdam exercitum Deorum adorent! Sed cum paullo post legebant, Christianos SOLUM Deum adorare; quid aliud sapientissimi illi Viri colligere poterant; quam quod religio christiana; uti de numero Deorum quos colit, sibi non consentit, ita Justinum varias Protei formas idemtidem induere; qui adeo inter se pugnantia adfirmat. Denique cum Justinus, integram illam accusationem depellere vellet, Christianos non esse Atheos; ubi simul id exponit, quem pro summo Numine agnoscunt, quemve cultu religioso venerantur: Patrem nempe Filium, & Spiritum Sanctum; §. XIII. Apol. I. ibi nihil penitus de Angelis commemorat. Atque cum eam objectionem solvere conatur, quam Ethnici Christianis opponebant; eos nempe post Pa-

trem secundo loco, hominem in crucem actum adorare: ita totum hoc argumentum dilucidat, ut profus de eo fileat, quæ entia igitur **SECUNDO LOCO** colant. Certe si Justinus candide cum Romanis agere voluit, id ei exponere necesse erat, quæ entia post Deum cultu religioso Christiani profequantur: Commodum profecto respondere potuisset: Erratis o! Romani, nos enim post Deum Angelos bonos colimus; non autem Christum. Nam cum is Deus a nobis habetur, eum pari cum Deo honore adficimus. Sed cultus Angelorum, si a loco adducto discedas, nusquam vel vola aut vestigium apud Justinum habetur. Tandem quodcunque argumentum nimis multum concludit; illud nihil concludere extra omne dubium est. Sed si locus Justini integer est; tale ut illinc nectatur argumentum, statim monstrabo. Enimvero Justinus de Christianis ait; illos eodem modo colere **BONOS ANGELOS**; prout Patrem Filium & Spiritum S. adorant. Immo quod majus est in ordine adorationis, Angelos Spiritui Sancto antepone; ut in loco adducto in initio Sphi hujus videre est. Sed ne Ecclesiæ Romanæ addicti quidem, Angelos pari adorationis cultu, cum S. S. Trinitate adorare vellent: nedum Angelos Spiritui Sancto anteferre. Cur ergo ex Justini testimonio Cl. Monachus cultum Angelorum probare conatur? Atque hæc sunt quæ me permovebant, cur de integritate testimonii ejus ex Justino adducti, dubitarem.

„ Nunc jam exceptiones Cl. Monachi exami-
 „ nabo. Displicere inquit, & molestiam faceffe-
 „ re non debet, quod Verbo Angelos adjungit;
 „ ad-

„ adjungit enim ut famulos & sectatores: idque
 „ Scripturæ consentaneum. Nam in Apocalypsi
 „ XIX: 14. dicitur: Et exercitus qui sunt in
 „ cœlo sequebantur eum in equis albis (d). Mi-
 „ ror hæc tam audacter dici. Ego saltem nus-
 „ quam me in Justino legisse memini, Angelos ab
 „ eo famulos & servos Jesu Christi vocari. Sed id
 „ quod ex Apocalypsi V. Cl. adduxit, ad rem pror-
 „ sus non facit. Etenim producere nobis ex sacro
 „ codice debèbat locum aliquem, unde id confice-
 „ ret, cum de adoratione Jesu Christi alicubi sermo
 „ est, seu Dei ipsius; tum ita jungi rem aliquam
 „ creatam divinis Personis; uti Justinus fecerat. Hoc
 „ si præstabit, victas ei manus ut demus necesse est.
 „ Certe ubi de cultu Dei sermo non est; homines
 „ etiam pii Deo non raro junguntur. Sic. I. Sa-
 „ muel. C. XII: 18. *Timuit omnis populus Dominum*
 „ & *Samuelem*, & Exod. C. XIV: 31. *Credide-*
 „ *runt (Israëlitæ) Domino & Mosi, servo ejus.*

Sentiebat V. Cl. magnum inesse pondus verbis
 istis, quæ Justinus de Angelis juxta ac SS. Trini-
 tate usurpabat *σέβομεν καὶ προσκυνῶμεν*. Quare ita
 nodum solvere tentabat: „ Frustra objicitur du-
 „ plex illud verbum. Nam primum quidem ad
 „ Angelos refertur, habita ratione discriminis
 „ quod inter Creatorem, & rem creatam interce-
 „ dit. Alterum autem nequaquam Angelos ne-
 „ cessario comprehendit. Sæpe duo verba si-
 „ mul conjuncta, non ad unam & eandem rem;
 „ sed ad diversas, judicio legentium referuntur:
 „ Cujus rei exemplum maxime appositum obser-
 „ vavi, in nota ad Quæst. 137. ad Orthodoxos. „
 „ Transcribam huc etiam ea, quæ ille ibi adnota-

bat, ad hæc verba Auctoris Quæstionum illarum ;
 „ Ungimur autem veteri oleo, ut Christi efficiamur ;
 „ Unguento autem ad recordationem Salvatoris
 „ Christi, qui unguenti unctiorem sepulturam suam dixit :
 „ Καὶ τύπω μὲν ἐπὶ τῆ παρόντος, ἀληθεία δὲ
 „ ἐπὶ τῆ μέλλοντος, εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν τε ἑαυ-
 „ τῆ παθημάτων, καὶ τῆς δόξης ἡμᾶς καλεσαμένους
 „ σωτῆρος χριστοῦ. *Ac nos per figuram in hac vita ; re-
 „ vera autem in futura ; in communicationem passionum
 „ suarum & gloriæ vocavit.* Separanda & distin-
 „ guenda, *Monachus ait,* passionum & gloriæ
 „ communicatio ; nimirum passionum imitatio
 „ imagine continetur in præsentī vita ; gloriæ re-
 „ vera in altera participes efficimur. Hæc illu-
 „ strantur ex simili loco Cyrilli Jerosol. Cath.
 „ 20. n. 5. ὡς ξένος καὶ παραδοξὸς πράγματιος, ἐν ἀλη-
 „ θῶς ἀπεθανόμενος, ἐδ' ἀληθῶς ἐτάφημενος, ἐδ' ἀλη-
 „ θῶς σαυρωθέντες ἀνέστημενος ὁ ἀλλ' ἐν εἰκόνι ἢ μι-
 „ μησης, ἐν ἀληθείᾳ δὲ ἡ σωτηρία. „ Hæc ille sa-
 tis prolixè.

Sed ut nunc nihil de eo dicam, Quæstiones & Respons. illas ad Orthodoxos ; falso Justino adscribi ; nemo non perspicacior videt, passionum communicationem ad futuram vitam non pertinere. Ibi enim non passionum erimus participes ; sed fructuum illorum jucundissimo usu fruemur, quæ Christus per passiones nobis adquisivit. Quis ergo sanus, res, natura, loco & tempore distinctas, eidem rei loco & tempori adscribat ? Nemo est qui ignoret, ea quæ inter se pugnant esse separanda. Sed id Viro docto probandum erat, voces illas synonymæ sunt, & optime inter se conveniunt, atque subordinatæ sunt
 ut

ut Logici vocant; nihilominus sapienter, ac naturæ styli rationisque convenienter non solum separari posse, sed etiam debere. Enimvero verba προσκυνέω & σέβω, ita differre, ut hoc cultum gradu inferiorem, & quidem talem quem Pontificii Angelis deferunt: istud cultum summum, qui Deo soli debetur apud Justinum significare: falso sibi V. Cl. persuasit. Ex Justinii scriptis, nulli id ignotum esse potest, illum scripta Pythagoræorum, Platonis & Poëtarum diligenter voluisse: atque Apologiam pro Christianis ad Imperatores Ethnicos scripsisse. Dubitari itaque non potest, quin Justinus eo sensu hæc verba adhibuerit, quo illi hac voce utebantur, ac eas interpretati sunt. At vero ii, cultum qui Diis majorum gentium deferebatur; verbo σέβω exprimebant. Ita Pythag. in aureis Carm. ψ. 12.

Αθανάτους μὲν πρῶτα Θεὸς, νόμῳ ὡς διακρίται
Τίμα καὶ σέβω. & Euripid. in Hippol.

Ὡς Θεὸς, τι δῆτα τό μόν ἐ λύσω σώμα
Ὅστις γ' ὑφ' ὑμῶν, ἐς σέβω δ' ἰολλυμαί. Item.

Ἐπίσταμαι γὰρ πρῶτα μὲν Θεὸς σέβειν.

Et Lucianus περῑ θυσιῶν. Κατὰ ἔθνη σέβουσιν, ὁ μὲν
Δελφὸς τὸν Απόλλω. κ. τ. λ.

Sed ut rem in compendium mittam: ipse Justinus cultum illum, quo Christiani Deum Patrem, Filium & Spiritum S. colunt; iis verbis exprimit, quibus Pythagoras Deos colere jubebat. (e) τὸν δημιουργὸν τῶν πάντων σεβόμενοι - - ὑτὸν αὐτῶν - - πνεῦμα τε - - τιμῶμεν. Opificem hujus universi COLIMUS - - Filium ejus - - & Spiritum - - veneramur. Cum igitur Justinus & ipse Platonicus Philosophus erat, atque eorum ut ostendi modis loquen-

di utebatur : dubitari nequit quin eo sensu quo illi sumebant verba illa adhibuerit. Quod locum ex Cyrillo adductum attinet , ad rem nihil facit. Is enim tantum id docet , nos in imagine quadam esse mortuos cum Christo , non autem vere ; quæ fit cum eum imitamur. Ceterum si locus iste Justinî , in quem commentati sumus incorruptus est , illum adeo non moramur ; ut errorem illum ex sacro Codice corrigendum , uti & aliis Patribus , judicemus. ἕτε γε πρὸ τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνὴρ. *Neque enim plus honoris habendum est homini , quam VERITATI : uti pulcerrime Socrates apud Platonem monuit. (f)*

(a) Præfat. Justino præmissa Part. II: cap. IV. pag. 22. (b) Justin. Apol. I. §. 6. pag. 47. (c) §. 17. Apol. I. pag. 54. (d) Videfis litteram (a). (e) Apolog. I. §. 13. pag. 50. (f) Plato de Republ. Lib. X.

§. VIII.

Nobilis , multorumque conjecturis obnoxius locus ille est , qui apud Eusebium in Hist. Eccl. lib. V. reperitur (a) de hoc etiam tribus verbis nobis loqui animus est. B. Irenæi verba ad Victorem , Romanum Episcopum , ita leguntur : οἱ μὲν γὰρ ὄιονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν , οἱ δὲ δύο , οἱ δὲ καὶ πλείονας , οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Cl. Dallæus (b) & cum illo plures alii postrema verba , sic transferri volunt. *Nonnulli vero quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis , diem suum commetiuntur.* Immo Doctiss. Valesius etiam , hanc versionem editioni suæ adjecit , &
in

in notis ad h. l. quadraginta *horas jejunii*, quæ a Christianis quibusdam ante Pascha observatæ fuissent, intelligi vult. Sed quis unquam diem unum XL. horarum vidit? nec apud veteres ullos, quod sciam, XL. horarum jejunii ulla est mentio. Non mihi quidem latet, Dionysium Alexandr. & Epiphanium, scriptum id reliquisse, quosdam duo, alios vero tres dies jejunasse: sed quid hoc ad XL. horas adinet? Rationes Cl. Valesii mihi tanti ponderis non sunt visæ, ut cum eo & aliis, XL. horarum jejunia Christianos celebrasse, mihi persuadere potuissem. Cum enim ex eo argumentum necit, varios Cod. MSS. post τεσσαράκοντα, comma adscriptum habere; Medicæum vero & Fuketianum Cod. post vocem ὥρας virgulam adfigere: id admodum debile est. Quis enim est, qui nesciat, qui codices aliquando vetustiores inspexit, in iis vel nullas, vel saltem paucissimas conspici notas distinctionum. Atque ea quæ Cl. Vir argumenti loco adduxit; omnes nempe illos codices, qui ipsi ad manus erant, a voce τεσσαράκοντα ad finem periodi, nullum habere signum interpunctionis: item Medicæum & Fuketianum Cod. MSS. post vocem ὥρας habere comma, tandem Regium codicem post νυκτερινὰς, idem adscriptum habere; luculentissime illum monere potuissent, ex adscriptis vel neglectis signis distinctionum, nullum hic loci solidum capi posse argumentum. Quid? quod hæc adducta codicum exempla, quæ tam diverso modo hac linea interpuncta Valesius ait, manifeste sententiam ejus evertunt. Altera ejus quam adtulit ratio, non multo plus roboris habet; cum in voce πλείονας. XL. illos dies, jam ab Irenæo inclusos esse putat;

atque ita superfluum prorsus fuisse judicat id ad-
 dere, quod XL. dies alii jejurent: si hæc de
 diebus, non autem de horis Irenæus intelligi vo-
 luisset. Ego vero, nihil plane absurdi in hac re
 video. Id enim ex Historia Ecclesiastica certissi-
 mum est, saltem primo, secundo & ineunte ter-
 tio seculo, nondum id consuetudine communi
 receptum, aut lege certa constitutum fuisse, ut
 XL. in solidum dies, omnes in universum Chri-
 stiani ante Pascha, jejuniis dicarent. Id quod
 inter alia, & verba Irenæi laudata monstrant;
 tum vero Socrates senioris ævi Scriptor, qui se-
 culo quinto florebat, clarissime docet: sua adhuc
 ætate, tantam fuisse diversitatem, in jejunio ante
 Pascha celebrando; ut Romæ XXI. in Achaja,
 Alexandria & Illyrico XLII. apud alios denique
 XV. dies, jejunio destinati fuerint. (c) Paria ha-
 bet Sozomenes (d). Quare, non sine ratione Ire-
 næum scripsisse puto, quosdam plures dies jeju-
 nare; hoc est paullo plusculum quam duo aut
 tres dies. Quosdam vero plane XL. dies jeju-
 nare; quod creditu difficilius videbatur. Quæ cum
 ita a nobis exposita sunt, Ruffini interpretatio-
 nem vetustissimam, omnibus aliis anteferendam
 putamus. *Quidnam enim, ille transtulit, putant uno
 tantum die observari debere jejunium, alii duobus,
 alii vero pluribus, nonnulli etiam quadraginta: ita ut
 nocturnas diurnasque horas computantes, diem statuunt.*
 Nunc id nobis solvendum restat, quod Cl. Va-
 lesium constrictum tenebat: quid verba illa ὥρα
 ἡμερῶν κ. τ. λ. sibi velint: me nisi omnia fallunt,
 id Irenæus, tam paucis verbis vult docere, quos-
 dam ex Christianis XXI dies jejunare; non dies
 naturales XII. horarum, sed artificiosos,
 XXIV.

XXIV. horis constant, ἡμερονύκτια. Quo ipso simul monstrat, jejunium hoc fuisse Christianum, non vero more Judæorum celebratum, qui non infrequenter cum totum diem sine cibo transigebant, nocte deinde liberalius comissabantur. Hanc interpretationem, verba ipsa Irenæi mihi ostendere videntur: qui non solum de die controversiam fuisse scribit, sed etiam *de modo jejunii*. Talia enim jejunia Christianos habuisse, in quibus ad horam tantum post meridiem tertiam jejunare solebant, Tertullianus (e) & Epiphanius (f) dubitare nos non sinunt. Quare non sine ratione puto Canonem L. Laodicenum Anni 365. scripsisse Δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοσὴν νηστεύειν ἑργοφάγους: *Oportet totos XL. dies* [hoc est nocturnas diurnasque horas simul intelligendo] *jejunare, aridis vescentes*. Dubitari certe non potest, Polycratem non solum de die Paschatis, quo die Asiatici illum observarent, ad Victorem scripsisse: sed etiam id ei exposuisse, quot diebus ante Pascha, jejunio vacent, & qua ratione, quove modo, jejunia celebrent. Id quod ex amonitione Irenæi ad Victorem colligere licet. Enimvero non totam nobis Eusebius Polycratis servavit Epistolam. Nam non solum ob diem Paschatis Victor Romanus videtur Ecclesias Asiaticas a Communione sacrorum exclusisse: sed etiam propter *modum & formam jejunii*, quod verba Irenæi docere videntur. *Neque enim solum de die* [Paschatis] *est disceptatio: ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς ἡμέρας τῆς νηστείας. Sed etiam de MODO ejus ante Paschalis jejunii*. Neque tam novum est, jejunium XL. dierum, ut quidam putant. Enimvero Origenes. Hom. X. in Levit. *Habemus enim quadragesima dies jejunii consecratos*. At ille æqualis erat Ter-

Tertulliani. Id saltem mihi indubitatum est, Christianos secundo seculo jam inclinante & initio tertii, non solum id sibi persuasisse, duo illos dies qui Pascha anteibant, Veneris & Sabbathi (g) in Evangelio esse prædictos (h) in quibus Ecclesia jejunare deberet: sed etiam credebant, illos duo dies ab Apostolis toti Ecclesiæ esse traditos & præscriptos. (i) Quorsum hæc Lector. B. a me dicta sint? tibi arbitrandum relinquo. Facilius autem mentem meam penetrabis, quod si conditionem nostrorum temporum, veteris Ecclesiæ Virginis ornamentis comparaveris. Multos veteris Ecclesiæ ritus innoxios, e sacris nostris proscripsimus: cedo rationem? quia tandem iis supersticiosi homines abutebantur, vel quod adversarii nostri illos defendunt. Quasi vero ritus, non autem mens in malitia, contra animi sui sensa obstinatus & pestifero errore imbutus, hæreticum aliquem faciat!

(a) Hist. Eccl. L. V. c. 24, (b) De jejunio & quadrage. L. III. c. 9. (c) Hist. Eccl. L. V. c. 22. (d) Sozom. L. VII. c. 19. (e) De jejun. c. 3. (f) In expositione fidei. (g) Tert. de Orat. c. 14. Die Paschæ communis jejunii religio est, & adversus Psych. c. 14. Vos etiam sabbathum continuatis cet. (h) Matth. IX. 15. (i) adversus Psych. c. 2. Certe in Evangelio illos dies determinatos putant [Catholici] in quibus ablati sunt sponsus. Et hos esse jam solos legitimos jejuniorum dies Christianorum, abolitis legalibus & propheticis vetustatibus.

§. IX.

Cl. BEVEREGIUS (a) multus in eo est, ut id conficiat in Epist. I. Clementis (b) per Episcopos,

scopos, B. Clementem nullo modo Presbyteros intellexisse: sed sub nomine Diaconorum, eos fuisse ab eo significatos. Id vero aliter se habere in compendio exponemus. Enimvero cum B. Clemens, meliora Corinthios de eo docere volebat, quo loco Pastores suos habere deberent, id primum iis exposuit, Episcopos & Diaconos a Christo & Apostolis esse datos Ecclesiæ l. c. Quare gravissime eos de eo, in quod impingebant, reprehendit, quod Episcopos loco suo moverunt. (c) *Non enim, inquit, leviter peccabimus, si eos, qui sancte munera offerunt ἐπισκοπῆς ἀποβαλλόμεν ἐπισκοπῆς ἐκίεμεν.* Sed quos hac linea Episcopos adpellabat; statim in ea quæ hanc excipit, Presbyteros vocat, *μακάριοι οἱ προσδιδραχσαντες πρεσβύτεροι, ἃ γὰρ εὐλαβοῦνται, μὴ τις αὐτοὺς μεταστήσῃ, ἀπὸ τοῦ ἰδρουμένου αὐτοῖς τόπου.* Ergo ii, quos sede sua Corinthii deturbabant, erant Episcopi per periodum priorem; sed erant Presbyteri per posteriorem. Accedit, quod B. Clemens ait: *ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἐπίουσι μετηγάγετε,* videre se, quod nonnullos Episcopos Corinthii loco movebant. Non unus igitur, sed plures eodem tempore Corinthii Episcopi fuere. Id quod longe adhuc clarius ex iis, quæ postea adduxit, patet. (d) Enimvero super illud ovile Christi, quod Corinthii erat, Presbyteros constitutos esse docet. Quare cum acerba eorum castigatione adnectebat: (e) *Turpia Fratres percrebescunt, Corinthiorum Ecclesiam unius aut duorum causa σασιάζειν, πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, seditionem concitare adversus Presbyteros.* Quos igitur Corinthii sedibus, ejecerant, ii erant Episcopi per litteram (c) sed erant Presbyteri per litteram.

ram (e). Relinquitur igitur, sub nomine Episcoporum B. Clementem Presbyteros intellexisse. Plures sane fuerant, qui & serioribus temporibus idem cum B. nostro Clemente senserant. Unum mihi Theodoretum testem adduxisse sufficiat. (f) ἐπισκόπους τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ (τ. ε. Ἀπόστολος) ἀμφοτέρω γὰρ εἶχον κατ' ἐκεῖνον τὰ ὀνόματα. At Theodoretus, seculo V. demum floruit. Brevis-
sima est regula, sed utilissima: una eademque res, variis modis bene fit. Sed quis tot diversa capita, sub unum pileum revocabit! Certe ab ætate illorum temporum, cum majori studio martyria, quam Episcopatus quærebantur: Omnis supra ceteros fratres eminendi cupido, abhorrebat. Quod si quis enim, altiora præ aliis spiraret, seque ceteris anteferre conaretur: is scelestissimus mortalium habebatur. Quare etiam Paulus Samosatenus, hoc nomine a synodo Antiochena notatus est, quod in Ecclesiasticis conventibus pompam adfectaret: Atque sibi Cathedram eminentiorem parari iussisset; quæ a Christi discipulo aliena essent. Denique quod is sæculares dignitates induisset, & maluisset vocari Ducenarius quam Episcopus. (g) Quid hoc sibi vult, quod Ducenarius adpellatur Paulus ille Samosatenus? ita id Beveregius explicat (h) Paullus itaque inquit una cum sacerdotio, Romanum etiam Magistratum gessit. Immo quidem Ducenarius fuit; talis nimirum Magistratus, cui ducenta sestertia in annum Salarium ab Imperatore constituta sunt. Debet is hanc interpretationem Salmasio quam & Valesius adoptavit. (i) Id quidem Patres isti non scribunt Paullum ab Imperatore Ducenarium fuisse constitutum; nec Eusebius quod sciam, usquam id tra-

tradidit : sed id solum Patres isti ajunt : *Paullum per fraudes , dolos , scelera , in ea se ingessisse ; quæ ad illum non pertinebant : & lucrum turpe captasse , quippe qui pietatem quæstum esse putabat.* Cum enim Aurelianus vix finita Synodo , ferrum & cædes in Christianos meditaretur ; (k) quis credat illum ad tam splendidos Magistratus obeundos , Christianorum Episcopos promovisse , quibus tam ampla stipendia singulis annis solveret ? Equidem DUCENARIOS inde ita adpellatos puto , quod iis non de majore summa quam nummis ducentis judicare licebat. Nam Suetonius (l) *Augustum Imperatorem scribit ad tres Judicum decurias quartam addidisse , ex inferiore censu ; quæ DUCENARIORUM vocaretur : judicarentque de levioribus summis.* Quanta autem illa summa fuerit , ex Martiali disci potest. (m) *Nunc causas , inquit agis , & DUCENA quæris.*

(a) In Codice Canonum a se illustrato p. m. 274. (b) §. 43. p. 63. (c) §. 44. p. m. 66. (d) §. 54. p. 79. (e) §. 47. p. 71. (f) Ad vers. 1. in Epist. ad Philip. c. I. (g) Euseb. Hist. Eccles. Lib. VII. c. 30. (h) In Codice Canonum Ecclesiæ Primitivæ vindicato Lib. II. cap. VIII. pag. 239. (i) In Notis ad citatum locum Eusebii (k) Euseb. ibidem circa finem capitis. 30mi. (l) Sueton. in vita August. cap. 32. (m) L. VIII. Ep. 16.

§. X.

Multi Justinum Martyrem , in narratione illa , de Statua Simoni Mago , Romæ in insula Tiberi posita ; ἀβλεψίας accusant. (a) Atque ut Justinus hoc testimonium refellant , lapidis illius auctoritatem

tem adducunt, qui Gregorio XIII. Pontifice, Romæ in insula Tiberina inventus est. (b) Inscriptio in ea legebatur.

SEMONI SANGO DEO FIDIO SACRVM
SEX. POMPEIVS. S. P. F. COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS DECVR BIDENTALIS
D. D.

Mihi quidem nunc animus non est, omnium eorum, qui hic a nobis dissentiant rationes enumerare; aut singillatim argumenta ea, quibus hanc narrationem confutatum ire conantur, sub examen vocare. Nobis vero sufficiat Cl. VALESII in Lib. II. (c) Histor. Eusebii adnotamenta, hic loci expendere. *Imperitia ille inquit, latinæ linguæ lapsus est Justinus, qui Statuam Semoni Sango positam, Simoni Mago sacratam fuisse putaverit; vicinitate nominum deceptus.* Insignis hæc injuria est quam V. Cl. Justino infert: cum eum, ne prima quidem linguæ latinæ elementa tenuisse adfirmat. Dicere hæc non sufficit sed probare etiam oportebat. Quem enim fugit, eo tempore quo Justinus vivebat, tam vulgarem linguæ latinæ fuisse usum, ut tunc, pro se quisque in id elaboraret, ut latine loqueretur. Nemo certe vir cordatus id facile sibi persuadebit, tam insignem Philosophum qualis sua ætate Justinus fuerat, hac fuisse supina negligentia: ut etsi is diu Romæ versaretur, interea tamen, ne elementa quidem linguæ latinæ perdisceret. Eum enim diu Romæ egisse: paullo post docebo. Sed an similis imperitiæ Tertullianum, in lectione illius inscriptionis Valesius accusabit? At accusatorem egregia Tertulliani monumenta confutabunt. Certe Tertullianum magnam in rebus

bus

bus enarrandis, inquirendis, adhibuisse diligentiam; tot egregia veterum monimenta ab eo nobis servata, testantur. Neque quisquam cogitare potest Tertullianum, verum scribere de statua non potuisse. Is enim pæne per omne tempus vitæ suæ, Romæ versabatur. Quis ergo facile sibi persuadeat, hos bonos viros, in tam gravi scripto, quod ad Imperatorem ac Senatum Romanum perferri volebant; ejus generis narrationem scribere vel voluisse, vel ausos fuisse, quam ante non recte perspexerant, nec rite explorabant? Ego saltem in id induci non possum ut credam, tam candidos viros; fabulas, immo mendacium putidissimum, ad ampliff. Senatus Populique Romani confessum, publico Christianorum nomine scribere sustinuisse. Sed talia narrantes vel pueri Romani exhibilare potuissent. Cur ergo hos mendaces scriptores, nemo Ethnicorum castigabat? Ad hæc quis unquam tam lepidum litteratum caput vidit, qui hæc verba, inscriptionis, ad litteram (a) productæ: *Sextus Pompeius, Sexti Pompeii Filius, Collinus Mussianus; Bidentalis Decur,* pro his legeret; *Senatus Consulto, vel Senatus Populusque Romanus posuit?* At non unum aliquem, Simonem Magum Statua posita honorasse, ait Tertullianus & Justinus: sed Imperatorem & Senatum Romanum (b). Enimvero Tertullianus ita eos compellat: *sed digne, inquit, Imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus & viventibus eum addicitis . . . cum SIMONEM MAGUM Statua sancti Dei inauratis, de Pædagogis aut aulicis nescio quent cinædum Deum facitis.* Illi ergo Simoni Mago statuas ponebant, qui Imperatoribus honores divinos decreverunt. Nemo autem nescit ad Senatum

Romanum consecrationem seu ἀποθέωσιν Heroum pertinuisse. Verum ex loco Tertulliani nunc descripto, ad alterum Cl. Valesii argumentum nascetur mihi responsio; qui ita pergit: *Quasi vero, ait, Romani Magum ac Præfigiatorem adhuc viventem consecravissent; aut quasi Romani Deum adducto Epitheto sanctum vocaverint?* An virum doctum id fugere potuit, multos ex Imperatoribus Romanis eo dementiæ processisse; ut vivi adhuc pro Diis haberi vellent? quibus non raro etiam Senatus divinos honores ex adulatione deferri voluit. Solum Suetonius in hanc rem exempla monstrabit. Certe sub Claudio *cuncta atrocitas atque pudenda Romæ fuisse celebrata* Tacitus Annal. Lib. XV. memoriæ prodidit. Tertullianus etiam clarissime scribit VIVENTIBUS etiam, divinos honores fuisse delatos. Quid? quod etiam Neryllino vivo statua posita fuisse videtur (e). Iste autem cinædus cujus Tertullianus meminit, procul omni dubio Antinous erat: quem Hadrianus Imperator in delitiis habuit. Forma eum liberali fuisse, & in lunam collocatum seu consecratum; Tatianus Assyrius observavit. (f) Quem prostitutæ vitæ adolescentem, Justinus sua ætate vixisse refert. (g) Id vero prorsus falsum est, hoc a Romanis non frequentatum, aut a moribus eorum alienum fuisse; Deos suos SANCTI titulo ornare. Enimvero non modo Virgilius NUMINA SANCTA PALLADIS dixit (h) & Ovidius DEOS SANCTOS (i), sed etiam Plinius ita alicubi loquitur: Eumithren Beli gemma SANCTISSIMI DEORUM sibi Assyrii adpellant. (k) Apud Gruterum plures ejusmodi Tillemontius observasse dicitur. Homines autem Sanctos adpellatos fuisse dubitari nequit.

Sic

Sic apud Gruterum: (l)

ANICIVS PAVLINVS
SEMIGNIVS SANCTVS - R - 2
PROCONS. AFRIC: CONS.

Nunc jam argumentis, narratio Justini communienda est. Quodsi facultas & voluntas verum scribendi, in aliquo reperitur: non est profecto cur amplius de fide illius dubitemus. Hæc autem in Justino Martyre desiderari non posse jam confirmatum ibo. Justinum M. de statua Simoni Mago posita verum potuisse scribere ex eo clarissimum redditur; quod is teste Eusebio (m) ἐπὶ τῆς Ρώμης τὰς διατριβὰς ἐποίητο Romæ domicilium constituit. Pari modo constans ejus animus, & ad mala quævis imminetia, a Samaritanis perferenda mens imperterrita, de voluntate ejus, quod is verum scribere in animo habuit: certiores nos faciunt. Tanta enim audacia de Simone Mago se locutum esse ait; ut verum dicere voluerit, etsi id ei certum foret, statim se a popularibus suis Samatitanis, qui Simoni illi impostori adhæserant; discerpi debere. (n) Quare luculentissime de Simonis illius gestis scribit, quod ea quæ de eo quidam circumferunt, falsa & commentitia sint: atque populares suos, ut & alios stolidissime illum summum Deum credere. Hinc de hoc argumento, se Cæsarem ipsum, ἐγγράφως compellasse commemorat. (o) Jam vero λέγειν τὴν ἐγγράφως apud Eusebium (p) non aliud est, quam scripto publice tradito aliquid confirmare, & de aliqua re testari. Ruffinus certe ἐγγράφως λέγειν vertebat: apud Ἀἴα profiteri. Cui hoc Justini geminum est; ἐγγράφως καίσαρα προσομιλεῖν.

Quanta autem fide in rebus tradendis Justinus versari voluerit : id nobis argumento esse potest, quod is ipse, eum qui verum possit dicere, nec tamen id facit a Deo judicatum iri pronunciat. (q) Nonne vero animum satis de Historiæ certitudine edoctum illud ostendit, cum Justinus M. Imperatorem ac Senatum rogat, ut statuat Simoni Mago positam demoliantur ac evertant? Denique uti candidum Scriptorem addecebat, Justinus Imperatorem ac Senatum orabat, ut supplicem ejus libellum examinent, vera an falsa ea sint, quæ ille ad eos scribebat. (r) Nunc itaque integro agmine argumenta pro Justini narratione communienda adduxi, quorum duo vel tria, eaque levissime in Differtatione mea nuper attingebam.

Quamquam vero hanc ego Justini & Tertulliani, de Statuæ Simoni Mago Romæ posita narrationem, fide dignam esse sentiam: nolim tamen quemquam id de me suspicari, quasi vero, fabulosam illam etiam, Simonis istius Impostoris, opera S. Petri factam ex aëre præcipitationem, veram esse censeam. Hujus generis historiolas, ego lubens iis relinquo, quorum & proram & puppim fidei, *lugenda* illa *Patrum* vel inquam *Legenda* constituunt. Illud vero mihi testatissimum est, Petrum eum Romæ fuisse; tum mortem illic crudelissimam cum laude subiisse. Id quod Irenæus (s) Clemens Alexandrinus, (t) Tertullianus (u), Origenes (x) adfirmant. Mitto salios senioris ævi scriptores, Lactantium, Eusebium & reliquos; quos apud Ecuditissimum CAVE (y) reperies. Quodsi in hoc negotio fidem his scriptoribus abjudices: ego sane non video,

deo , cur non ceteras omnes narrationes quas-
 cunque *Patres* illi scriptis commendabant , repu-
 diare possis. An vero annis XXV. S. Petrus Ro-
 mæ Episcopatum tenuit ? est hæc quæstio lon-
 ge diversissima. Hoc enim , cum rationibus
 Chronologicis pugnat ; id quod Illustris CAVE
 & Celeb. Frider. SPANHEMIUS Fil. erudite ut
 solent uterque demonstrarunt. Quibus in hoc
 negotio , lubens calculum adjicio. Nollem ta-
 men hinc , hæc inficeta admodum , deduci con-
 sectaria : Petrus Romæ annis XXV. non erat :
 ergo ne Romæ quidem fuit. Item , Petrus Ro-
 mæ versabatur ac docebat : efficitur itaque , il-
 lum ut Episcopum stricte ita dictum Ecclesiæ Ro-
 manæ præfuisse. Enimvero quamquam S. Pe-
 trus ordine , ac honoris aliqua testificatione , ce-
 teros Apostolos anteibat : eadem tamen Petri &
 Paulli erat auctoritas : uterque in Ecclesia ea ædi-
 ficanda & solidis fundamentis superstruenda labo-
 rabant : uterque Episcopi urbis erant : quippe
 qui Ecclesiæ Romanæ inspiciebant , dum apud
 eos morabantur. Quare etiam Epiphanius , ho-
 mo veterum memoriarum non segnus indagator ,
 Petrum ac Paullum primos urbis Romanæ Epi-
 scopos hoc sensu adpellabat. (z) *Etenim Romæ ,*
inquit , Primi (Episcopi) erant Petrus & Paullus :
Apostoli idem & EPISCOPI. Deinde Linus tum Cletus ,
Clemensque qui Petri & Paulli æqualis erat. Ex hoc
igitur Epiphanii loco , pulcre Eusebii (w) locus
illustrari & clarius intelligi potest. Θεμελιώσαντες ἔν
καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ τὴν ἐκ-
κλησίαν , Λίνω τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρι-
σαν. Fundata jam & ædificata Ecclesia beatissim
APOSTOLI , Episcopatus officium Lino tradiderunt.

Qui ergo erant illi Apostoli, quorum Eusebius meminit? non certe alii, quam quos Epiphanius nominabat: id est Petrus & Paullus. Sed manum de tabula.

CECIDI EGO? CADET QUI SEQUETUR.
LAUS EST PUBLICA!

(a) Justin. Apol. 1. §. 26. 56. pag. 59. 77. (b) Baronius in Annal. ad ann. XLIV. (c) Cap. XIII. pag. 32. (d) Apolog. advers. Gentes. cap. XIII. (e) Athenagor. Legat. pro Christianis §. 26. pag. 304. (f) In oratione advers. Græcos. §. 10. pag. 252. (g) Apol. 1. §. 29. pag. 61. (h) Aeneid. III: 4. 543. (i) Amor. III. 8. 54. (k) Histor. Natural. Lib. XXXVII. cap. 58. (l) pag. 353. Num. 5to. (m) Histor. Eccl. Lib. IV. c. 11. (n) Dialog. cum Tryphon §. 120. pag. 214. (o) Ibid. (p) Hist. Eccl. Lib. IX. cap. 5. (q) Dial. cum Tryph. §. 82. pag. 179. (r) Apol. 1. §. 56. pag. 77. (s) Advers. hæreses L. III. c. 1. 3. (t) Apud Euseb. L. II. c. 15. (u) De Præscript. cap. 36. & de Baptism. cap. 4. (x) Tomo. III. in Genes. apud Euseb. L. III. c. 1. (y) Historiæ Litterar. Volum. I. p. 7. (z) Advers. Carpocrat. Hæres. XXVII. Videtis & Irenæum advers. Hæres. Lib. III. (w) Euseb. Hist. Eccl. Lib. V. cap. 6.

T A N T U M.